






1742, 146  
18

DISSE<sup>T</sup>ATIONEM SOLLEMNEM  
DE  
**AVGVSTO**  
**CONTRARIA MEDICINA CVRATO**  
**PRO HONORIBVS DOCTORIS**  
Ad D. Septembris. cl<sup>o</sup> Iccc xxxxi.  
DEFENDET  
**M. CHRISTIANVS ROSE**  
RVPPINENSIS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

VII

IC

ME  
RE  
CO  
PR

PA



*VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIEN-  
TISSIMO ATQVE DOCTISSIMO*

**DOMINO  
IOANNI THEODORO  
ELLERO**

MEDICINAE DOCTORI, AVGUSTISSIMO PORVSSORVM  
REGI A CONSIGLIIS AVLICIS, EIVSDEMQUE ARCHIATRO,  
COPIARVM POTENTISSIMI REGIS PRAEFECTO MEDICO  
PRINCIPI, REGIAE SOCIETATIS SCIENTIARVM, ET COLLE-  
GII MEDICO-CHIRVRGICI BEROLINENSIS DIRECTORI,  
SVPREMI MEDICORVM COLLEGII DECANO,  
ET SANITATIS COLLEGII  
SODALI.

**PATRONO ATQVE FAVTORI SVO  
ÆTERNVM COLENDO**

HANC

DE AVGVSTO CONTRARIA MEDICINA CURATO

SOLEMNUM DISSERTATIONEM

D. D. D.

M. CHRISTIANVS ROSE.



ifficilius VIR ILLVSTRIS ATQVE EX-  
CELLENTISSIME veniam a TE im-  
petrarem paululum insolentioris  
audaciæ meæ cum CLARISSIMO  
TVO NOMINI paginas hasce, ecce  
munus exiguum, dicam ad ostentationem ma-  
gis quam ad commendationem illarum in-  
scripserim; nisi confisus humanitate TVA  
profsus incredibili, mitius TE iudicaturum de il-  
lis sperassem, quæ quamdam licet temeritatem  
atque licentiam arguant, vtcunque tamen ali-  
quam ex voluntate officiosissima atque acerrimo  
placendi studio gratiam promereridébent. Enim-  
vero siquidem præclara TVA in rem publicam, in  
salutarem disciplinam, in miseros denique atque  
adfectos prope innumeros, merita omnibus an-  
te oculos versantur, quid fieri poterat facilius,  
aut quid debebat iustius, quam me, cum leui  
scripturæ gratiam atque auctoritatem conciliare  
volebam, illuc confugere, vbi non fallax præsi-  
dium aut defunctionum studium metuendum  
erat. Sufficerent hæc ad excusationem si qua o-  
pus erat audaciæ, sed aliud accessit grauius inci-  
tamentum

tamentum propositi mei. Videbaris mihi **VIR**  
**HUMANISSIME** aliquanto benignius excipere scri-  
ptum, in quo materies explicatur, quæ clarissi-  
mo testimonio demonstrat, esse in diuinis vete-  
rum reliquiis quamplurima, ex quibus ars medi-  
ca illustrari, & ornamentum haud vulgare acci-  
pere possit. Hæc vero cum arctissimum illud  
medicinæ præceptorum & humaniorum littera-  
rum vinculum hic aliquanto diligentius rimandum  
ostendat, neminem profecto **TE** dignorem of-  
fendebam, cui istud specimen ceu fautori, ceu  
peritissimo iudici inscriberetur. Adeo rari pro-  
ueniunt in terris nostris, qui vltra quæstuosam  
mercedem cogitant, vt fere optimus quisque si-  
bi videatur, qui neglecta seuera proficiendi lege  
irruat in Aesculapii arcem, sacra contaminet,  
aufugiat, animas venetur, & experimenta per  
mortes faciat. Hi quod si forte in talia incident,  
quæ nec libenter legunt, & nunquam intelli-  
gunt, aliquoties iam experientia doctus obserua-  
ui, misellos crispare nares, ingemiscere altum,  
& oculis nescio quid detestabile, quasi qui in-  
genti <sup>μαρμαλικείον</sup> excitati fuissent, auersantur. **Hi**  
itaque

itaque cum nihil præclarum, nihil vtile, nihil iucundum putant, nisi quod ipsorum iudicio probetur, per omnem vitam, quem ipsi merebantur contemptum, in literas sibi ignotas coniiciunt, bellumque cum ipsis perpetuum gerunt. Ex aduerso autem illorum sibi pro se quisque bonus ad imitationem exemplum proponit, qui licet non omnia, quæ ad vastissimum eruditionis titulum spectant deuorauerit, nulli tamen eiusdem parti pretium constitutum negare, aut eam quam non didicerunt, palam fastidire, accusare, aut conuitiis proscindere audent; verum qui curiosus in singula inquirunt, nec cœlum se Iouis tenere arbitrantur, si ingentem specificorum, præseruatiuorum, Catholicorum, Panchrestorum, aliorumque id genus remediorum vel memoria satis tenaci comprehendenterunt, vel longissimo temporum vsu congesserunt. A singulis ita accepi, & ex eruditissimis scriptis TVIS hoc iudicaui,  
**VIR ILLVSTRIS ATQVE DOCTISSIME**, quantum TIBI ignobile istud hominum genus, de quo dixi displicere oporteat, qui ad eximum sacerdoti decus non mirifica solum medendi dexteritate

titate atque scientia, sed rara etiam in vario litterarum gener e, præcipue in liberalioribus studiis, cognitione, ILLVSTRE TVVM NOMEN, ab obliuione vindicasti. Has ego dotes atque singulares virtutes TVAS ne præconumaut adulatorum in morem extulisse videar, placet de illis nihil amplius adiicere, ne in suspicionem incidam, aut parum me dixisse aut ex more illorum, qui inuidiosis laudationibus quoquis modo gratiam atque fauorem aliorum consequi student. Illud tamen vnicum ut dissimulem nequaquam a me possum impetrare, me illos felices existimare, qui TVA, o quam præclara amicitia fruuntur, feliores qui præsentissimo auxilio TVO sanitati restituuntur felicissimos autem illos, quibus TVIS auspiciis & commendationibus crescere, diuina prouidentia, & voluntate TVA benevolentissima conceditur. Hisce nunc atque condicta per omnes vitæ meæ dies NOMINIS TVI sempiterna æstimatione, ac declarata studii & voluntatis meæ duratura deuotione litteras ILLVSTRI TVO NOMINI inscriptas perficio, vota tamen ipsis iungens & ardentissimas preces pro TVA ac TVORVM perpetua salute,

pro

pro constanti denique CLARISSIMAE DOMVS EL-  
LERIANAE splendore & incremento susceptas.  
Exaudiat Numen Benignissimum hæc mea &  
quamplurimorum desideria, TEQVE cumprimis  
quam diutissime seruet in sui honorem, vrbis RE-  
GIAE SEDIS ornamentum, in familiæ nobilissimæ  
præsidium inque bonorum omnium tutissimum  
patrocinium. Hæc precor

*VIR ILLVSTRIS EXCELLENTISSIME  
EXPERIENTISSIME ATQVE DOCTISSIME*

MERITORVM TVORVM

HALAE  
d. SEPTEMBER.  
ccccxxxxxi.

OBSERVANTISSIMVS

M. CHRISTIANVS ROSE

L  
as.  
&  
is  
E  
n  
m  
  
M  
  
MVS  
  
SE

DISSERTATIO  
DE  
AVGVSTO CONTRARIA MEDICINA  
CVRATO.

§. I.

A Rtium atque disciplinarum nescio quo pacto acciderit, vt Medicina fere omnium vltima atque extrema ad illum perspicuitatis gradum, qui nunc seculo nostro blanditur, peruererit: Siquidem vrgens necessitas impellere debebat quam plurimos, vt omni studio incumberent in artem sibi suisque profuturam ornandam atque exercendam. Tamen inter alios disciplinarum antecessores egregie paucos semper exstitisse videmus qui Medicinæ peritiam sibi solis vindicassent, suis auspiciis exercuissent inque illa tam utili tamque necessaria arte eo euentu plurimum elaborassent, vt posteritatis indicio ex obscuris tenebris quibus inuoluta erat illam extraxisse, certisque hominum commodis atque emolumen-  
tis aptasle viderentur. Vt enim permultos fuisse apud omnes populos concedamus, qui Hippocratis ingeniosam industriam & subactum iudicium medendo anteuerterunt, nullum tamen illorum credibile est viæ institisse, quam ratio dictauerat, experientia vero & quotidianus rerum usus comprobauerat: Cum Asclepiadæ de Theoria securissimi, nihil nisi quod a parentibus viderant agitarent, Philosophi vero satis in Theoria sequenda diligentes, quoniam simul vniuersi huius naturam scrutabantur, ab artis operum nimis raro studio, ad experientiam non deducerentur. Adeo ante illum quantum li-

A

cet

et suspicari Medicina, nisi præceps & conjecturalis variarum rerum præceptio nulla erat. Sed & post illum simul atque enormous illa dissentendi, atque disputandi libido omnium fere animos occupauit, nihilque præter putidas quasdam *repugias* & *opugnas* inuexit, corrupta medendi regula stetit & obmutuit. Tum vero Medicorum scholæ, Gymnasia diceres, porticus erant, in quibus de variis, quæ neque ad cœlum neque ad terram pertinebant rebus, quisque ingenti clamore pugnabat, & discipulos quid hic absurdī, ille pericolosi, alter parum possibilis præciperet docebat. Tunc sectas vidisse neque numero neque sententiarum diuersitate unquam conciliandas, quarum omnium potissima haec erat cura, ne euilibet cum altero doctore conueniret, neue inoffensum aliquid ab altero dictatum quisquam prætermitteret. Interea ægrotorum status hoc magis deplorandus erat, quo minus cuius curæ vitam committerent intelligebant, cum alias alio modo præciperet, & ni fors iuuaret, raro aliud quicquam præter professam mortem exspectandum esset. Quod ne temere dixisse videar, efficiam ut exemplo C. Ces. Augusti, quem Diuus Iulius adoptauerat, res ipsa plenius innotescat. Hic enim Camelii Medici peruersa medendi ratione morti proximus, tandem Antonii Musæ industria (qui prorsus contrariam ac diuersam ab illa Camelii viam ingrediebatur,) pristinæ sanitati restitutus est. Rem ipsam scriptis suis tradidere *Plinius*, *Suetonius*, atque *Dio Cassius*, in quorum testimoniis cum nonnulla implicata sint atque *dubiora*, dabitur operam, ut hanc difficulter intelligi queant.

J. II.

## §. II.

Singula itaque quæ huc pertinent si obseruare & accuratius examinare volumus, primum omnium inquirendum est, in ætatem Augusti, seu quo tempore Augustus hoc morbo decubuerit. Nihil de illo *Plinius* (a) binis istis locis, vbi huius rei mentionem fecit. *Suetonius* (b) vero *Cantabria domita* illud accidisse indicat, quocum accurate consentit (c) *Dio* nam cum paulo ante Cantabrorum & Asturum tumultus, a Romanis represso narrasset, (d) subiicit ipsam de morbo Augusti historiam, tempusque quo accidisset addit scilicet Augusto XI. & Calp. Pisone COSS. qui consulatus in fastis ad annum V. C. 731. refertur. Natus vero Octavius C. Antonio & M. Tull. Cicerone COSS. sive A. V. C. 691. Ex quibus conficitur ipso huius morbi tempore attigisse annum ætatis sue quadragesimum, quæ quidem morbis perferendis raro subiicitur, & plerumque totius ætatis nostræ vegetissima esse solet.

## §. III.

Verum ut nulla mortalium ætas a morborum incurSIONibus libera plane est atque immunis, sic in omni statu facilius illi infestantur, atque percutiuntur, qui suapte naturæ imbecilliori, atque infirma ne minimum quidem impetum sustinere valent. Ex hoc genere fuisse Augustum, qui nullis bona valetudinis firmis praesidiis munitus erat,clare de eo testatur (e) *Suetonius* scilicet Au-

A 2

gustum

(a) Nat. Hist. Lib. XVIII. Sect. XXXVIII. & Lib. XXIX. Sect. V. ed  
Io. Harduini.

(b) In Aug. Cap. LXXXI.

(c) Lib. LIII. p. 592. edit. Henr. Stephan.

(d) pag. 592.

(e) Cap. LXXX. & LXXXI.

gustum refert, graues & periculosas valetudines per omnem vitam aliquot esse expertum, corpore maculoso, dispersis pectus & aluum genitiu[m] notis fuisse, callos quosdam ex prurigine corporis habuisse, qui assiduo & vehementi strigilis usu plurifariam contracti fuisse, ad impetiginis formam: Coxendice & femore & crure sinistro non perinde valuisse, ut saepe etiam claudicauerit, questum esse de vesica, cuius dolore calculis demum per urinam electis levatus fuisse. Sc. Ad h[oc] multa quae ad explicationem verborum Suetonii facerent, a doctis interpres neglecta adicerem, nisi instituti memor, aliqualem illorum cognitionem sufficere existimarem, ut perspiciatur, nostrum in eo sanitatis fuisse statu, qui ut Medicis quibusdam placuit, neuter seu valetudinarius (*f*) appellatur, quemque periculorum plenum esse, adeo verum est, ut neminem hac de re dubitatum existimemus. Si quis plura tamen de illo atque digna tanto viro legere cupiat, is adeat Illustris HOFFMANNI (a cuius auctoritate etiam illud quod per se verum est atque stable decus & ornamentum accipit) *Medicinae Rationalis Systematica Tom. II. Cap. V. §. 3.* Incertum fitne adiecta illa valetudo, per hereditariam quandam dispositionem ad Augustum transmissa, an ipse per ærumnosas illas molestias, quas per totam vitam innumerabiles passus est, illam sibi contraxerit, hoc satis constat, nostrum quamplurimis animi commotionibus subiectum fuisse, partim ob triumvira[rum] tumultus, partim ob domesticas calamitates, vbi haud raro metus, trepidatio, ira, furor, corpus & sanitatem misere adsciebant, ita ut (*g*) Suetonio teste, aliquando patientius mortem quam dedecora suorum tulerit. Quibus

(*f*) Suetonius quassatum corpus vocat Cap. LXXXII.

(*g*) Cap. LXV.

bus si addas forte temperamentum cholericō sanguineum, vitiaque quædam animi, & morum corruptelas, non miraberis Augustum grauioribus & periculosisimis morbis saepius fuisse obnoxium.

## §. IV.

Considerauimus haec tenus ea, quæ si corpus quamlibet robustum, profecto tenerum atque infirmum facilius debilitare atque ægrotudines aduocare possunt, iamque eo peruenimus, ut ipsam morbi naturam atque indeolem eruere necesse sit. Verum neque (*b*) *Plinus* neque *Dio* quicquam de illo referunt, nisi quod prior illum graue periculum nominet, alter inquit ήρξωτησεν αὖθις *Sc. Augustus*, ὡς μηδεμίαν ἐλπίδα σωτηρίας σχέν, iterum graui morbo decubuit, ut nulla salutis spes maneret. At (*i*) *Suetonius* distillationum iocinore vitiato meminit. Huius itaque testimonio contenti, quid sit destillatio, quidue eadem ex vitiato iocinore originem ducens, exponemus. Egregie autem falluntur, Grammatici, & Lexicographi, qui distillationem & destillationem, it. destillo & distillo inter se differre, & separata esse vocabula dicunt, cum utriusque tam eundem plane, aut prorsus similem significatum adscripserint, nec ipsa leuis vocalium mutatio, sola sufficiat ad discrimen statuendum, nisi velis etiam iecinor & iocinor quod utrumque legitur in MSS. Suetonii cum sexcentis aliis diuersa esse vocabula, cum constet Romanos illic promiscue vsos esse. Sed mittamus illos, qui iudicio suo perquam acuto linguam sibi configunt latinam cuius exempla, in veteribus & antiquis classicis frustra quaesueris. Destillationem quam Medici primi, qui romano

A 3

fer-

(*b*) c. I. §. II.(*i*) Cap. LXXXI.

sermone scripserunt, hanc Græci vetustiores inde a temporibus Platone paulo superioribus catarrum, postea κορύζας, & κατασκόπεις appellauerunt, differtque a graudine licet (k) Celsus probante, Hippocrates utramque τῆς (l) κορύζης nomine comprehendenterit. Consistit autem in lenta humoris serosi defluxione, quæ præter naturam fit, in nares, fauces & pulmones: Nunquam vero me legere memini, distillationem aut τὸ distillare de sanguine dictum, quin potius optimi auctores semper eo vtuntur, ad indicandum lendum lymphæ fluxum. Sic omnes Medici latini Celsus cuius verba mox adscribam, (m) Scrib. Larg. (n) Cæl. Aurel. ceteri, sic (o) Seneca, (p) Virgil, & ex illo (q) Ausonius atque Plinius Secundus locis quamplurimis (r) Celsi hæc sunt: *Distillat autem humor de capite interdum in nares, quod leue est, interdum etiam in pulmones quod pessimum est.* Si in nares distillauerit tenuis per has pituita profluit, caput leniter dolet, grauitas in eo sentitur, frequentia sternutamenta sunt. Si in fauces has exasperat, tussiculum mouet. Si in pulmones preter sternutamenta & tussim est etiam capit is grauitas, taffitudo, sitis, bilijs & urina. Videmus itaque Celsum tres distillationis gradus memorare, & illos diuersos pro loci diuersitate, in quem humor defluit. Verum nullam harum distillationum Suetonium indicare voluisse mihi persuasum est, (s) videretur enim

(k) Lib. IV. Cap. II. n. 4.

(l) Vid. Ann. Faſii Oeconomiam Hippocratis v. κορύζα.

(m) Comp. LXXXVII. XC. XCIII.

(n) De morbi acut. II. 17. & chron. II. 7.

(o) Ep. LXXV. & LXXVIII. locum infra lege fin. §. VI.

(p) Georg. III. 280.

(q) Verf. vlt. Cent. Nupt.

(r) I. c.

(s) Confer. tamen §. VH.

enim causam in Augusto statuisse *vitiatum iocinor*, quamcumque vero ex prolixo causarum genere intelligas, videbis nonnisi remotius (sc. solum propter corporis infirmitatem *vitia hepatis* producere distillationes & catarrhos: si vero quod verisimillimum est causam omnium proximam, quam efficientem dicunt, putas, vide qua ratione illa suapte natura atque indole distillationes generare queat. Largiamur etenim Augustum frequenter hoc morbo corruptum fuisse, quoniam hoc refert Suetonius l. c. *Initio veris praecordiorum inflatione tentabatur, austrinis autem tempestatisbus grauedine*, facile tamen iudicari poterit, illum de quo nunc dicimus morbum, ab illis certo anni tempore recurrentibus maxime diuersum fuisse, cum primis si periculum illud præsentissimum, quod cum hoc coniunctum erat, & cuius oranes excitati scriptores meminerunt, accuratius perpendas. Neque enim grauedines aut cognati adfectus, si modo per se nec cum aliis morbis coniuncti existant, corpus tam cito confidere possunt. Ergo alium significatum tribuisse hoc loco Suetonium vocabulo distillationis audacter affirmauerim, illum eruamus necesse est.

## §. V.

*Graues & periculosas valetudines* (verba sunt Suetonii) per omnem vitam aliquot expertus est: præcipue Cantabria domita, cum enim distillationibus iocinore *vitiato ad desperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi necessario subiit*. *Quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus, auctore Antonio Ansia.* Primum quæramus, quid si bi velit Historicus eo quod dicit, *Augustum ad desperationem redactum esse.* Num quid ergo ille, qui animum tot despe-

desperatis rebus olim consecatis firmauerat, nunc adeo muliebri, perculso & abiecto erat, vt impetum abrumpendæ vitæ facere vellet? Sic enim hic locus ex vulgi notione vocis desperationis explicari posset, puta ab iis qui de prauato vsui inharent, vim vero & indolem verbi desperare & inde deriuatorum ignorant. Nusquam enim apud vllum melioris æui scriptorem positum esse credo, pro conatu & ausu temerario quiduis etiam cum summo suo periculo designandi. Scio qui pro hac significatio pugnant nobis obiicere Ciceronis auctoritatem *Catil. II. 3.* verum palam est & res ipsa loquitur *Ciceroni l. c. senes desperatos illos esse*, qui decoxerant, & ad incitas redacti erant, neque hinc de bonis & fortunis suis quicquam sperarent. Profigata itaque hac interpretatione aliam damus, quæ cum proprio & nativo vocis significatu conuenit. Ad desperationem redactum esse Augustum, idem est prorsus cum illo, ac si dices, morbus eam malignitatem contraxit, & ad illud periculum peruenit, vt nulla salutis spes superesset, nemoque de professâ morte dubitaret: Ponitur itaque vt Rethores loqui amant, effectus pro causa, quæ in symptomatum morbi grauitate consistebat, quæque efficiebat, vt ipse Augustus, & reliqui omnes qui praesentes erant, propinquui, amici, atque ministri, omnem restitutionis in pristinam sanitatem, spem cum illo abiicerent. Sic verbo desperationis (*t.*) nostre aliquoties vsus est. Sic *Tacitus*, (*u.*) & reliqui veteres locis innuris. Atque nunc videmus *Dionem* supra laudatum cum meminisset huius morbi, accurate secutum esse *Suetonium* adeo vt verbum verbo rediderit. ηγέρθητεν inquit αὐδίς ὥστε μηδεμιαν ἐλπίδα σωτηρίας σχέτιν. §. VI.

(*t.*) In *Nerone* Cap. II. & XLIII.

(*u.*) Hist. II. 44. & 46. III. 66. & 82.

## §. VI.

Quod si ergo Augustus adeo grauiter decumbebar,  
nihilque præter fatum extremum iam imminens exspecta-  
re poterat, (quod præter allata etiam confirmat testa-  
mentum tunc ab illo factum, de quo Dionem vide) nece-  
ssario sequitur illum alio, quam distillationis vulgo acce-  
pta, morbo prostratum fuisse. Cum vero ex habitu cor-  
poris, ex temperamento, ex infirma valetudine, deni-  
que ex ipsa curatione, de qua mox dicendum, nihil æque  
certius constare possit, quam febrim fuisse hecticam, ex  
hepatis seu iocinoris, aut partis ei vicinæ vitio ortam,  
qua laborabat Augustus; inquiramus quomodo hæc di-  
stillationibus stipata esse possit. Si quidem vero ut su-  
pra monuimus, hepatici seu iecorosi, in huiusmodi mor-  
bos leuiores haud facile incident, necesse est ut ad præ-  
cipua hecticæ febris symptomata attendamus, si quafor-  
te, quod speramus, ex hisce alia vocabuli distillationis  
notio sepe offerat. Notissimum est insignem humorum  
corruptionem, maxime acrimoniam sulphureo salinam,  
partiumque solidarum circa patientem locum continuam  
stricturam causas esse immediatas febris hecticæ, illasque  
productas a viscerum nobiliorum obstructione, indura-  
tione, apostemate, vlcere, efficere celeriorem et inæ-  
qualem sanguinis circuitum, sudorem fortiorem, deflu-  
xiones periculosas, & inde necessario oriundam virium  
vniuersi corporis resolutionem. Mittamus cetera atque  
ex grauioribus symptomatibus, solas consideremus de-  
fluxiones et præternaturales evacuationes humorum cor-  
pori nutriendo necessariorum. Obseruamus enim in he-  
cticis continuum sudorem, non lymphæ inutilis, & sa-  
nitati molestæ, sed gelatinosæ, pinguis, & particulis con-

B seruan-

seruando corpori aptissimis imprægnatæ, qui, quod ex intima resolutione partium similium originem ducat, a medicis sudor colliquatiuus nominatus est. Accedunt deiectiones aliuinæ crebriores, in quibus cum fero copiosiori aliquando alimenta prorsus indigesta, aliquando leuiter tantum immutata, cum ipsa parte chyli elaborati excernuntur, plerumque autem hæc excretio, quod lenta & quasi per stillicidium fiat, distillationem imitari videtur, & hoc maiori iure ita vocari potest, quoniam cum ipsa deiectione & larga sudoris profusione corpus sensim decrescit & consumitur. Quemadmodum vero recte dicimus in re sumillima quod corpus diffuat (*x*), sic non minorem elegantiam habet, si dicimus corpus distillat. Atque liquet & res ipsa loquitur, *Suetonium* distillationes, quibus Augustus ad desperationem redactus est, hoc ipso significata sumplisse, placet tamen Seneca quandam locum adscribere, ne *Suetonii* auctoritas aliorum testimoniis destituta esse videatur: ita autem (*y*) ille ad Lucilium scribens: *Vexari te distillationibus ac febriculis, qua longas distillationes & in consuetudinem adductas sequuntur, co-malestius mihi est, quia ipse experitus sum hoc genus valetudinis: quod inter initia contempsi. Poterat adhuc adolescentia iniurias ferre, & se aduersus morbos contumaciter gerere, deinde succubui, & eo perductus sum, ut ipse distillarem.* Ad summam maciem deductus *Ec. Ec.* Vellim ad hæc posteriora verba paululum attendas, & *Lipsum* ad hæc commentantem audias, sic enim ille, *ut ipse distillarem* hoc est (inquit), „liquefcerem & consumerem. „Fuerit id genus morbi, quo etiam Seneca sub Caio laborauit,

(*x*) vid. Taubm. ad Plaut. Mil. IV. 8. 12.  
(*y*) Epist. LXXVIII.

„borauit, qui infensus ei ob eloquentiam occidere de-  
„stinarat: Sed mulierculæ opere seruatus est, quæ affir-  
„maret, eum tibi laborare, nec diu posse viuere, ferrum  
„superuacuum.

### §. VII.

Geminum itaque huic voci significatum adscriptum,  
vnum si ponitur pro alii fluxione, seu intempe-  
stiva solutione, alterum qui corporis consuptionem,  
ex humorum resolutione & præternaturali profusione in-  
dicat. Dixerit hac posteriori significatione, quem modo  
laudauimus, *Seneca*, quamuis hic nihil sit, quod etiam  
prioris sensum excludat; Certum est *Suetonium* ad utrumque  
respicientem elegantiori & concinno magis vocabu-  
lo ut nullo potuisse, si veram nobis periculofissimi sta-  
tus Augusti causam prescribere voluisset. Ne quid vero  
dissimulemus neue iudicio nostro nimium tribuamus, in  
designando hoc morbo, placet illa etiam proferre argu-  
menta, quæ febi hecīca superuenisse *κορύζειν*, vel *κατάρρησον*, nos ut credamus omnino videntur impellere,  
ut adeo magis liqueat, nos in explicando *Suetonio*, et  
morbo indicato necquicquam a vero aberrasse, sed illuc  
omnia amice consentire immo conspirare, vt efficiant,  
non alia quam febi hecīca Augustum tentatum fuisse.  
Audiuiimus causam huius morbi fuisse iecinor vitiatum,  
de quo plura §. VIII. proferemus, audiuiimus etiam pos-  
se fieri, vt iecorariis distillatio superueniat. En (z) Ae-  
ginetae testimonium, qui mature nobis succurrat, *χρονί-*  
*ζόντος δέ*, inquit, (loquitur vero de *κορύζειν*, *κατάρρησον*,  
*θρεπτικών*, & *αύγηματων*) *τοῦ νοσήματος, καὶ τοῦ ἔνυματος εἰς*  
*τὰ πατέα θάρσαντε καὶ πνέυματος φερομένου, Εῆχες αὐτοῖς γι-*

B 2

VENTUS

(z) Lib. III. C. LXXXII.

κονταὶ πακοῦθεις. οὐδὲ διὰ δυσηεστιαν δὲ πολλάκις ἡ βῆξ γίνεται,  
ποτὲ μὲν θερμὸν, ὡς ἐν πυρετοῖς, ποτὲ δὲ ψυχρὸν, ὡς ἐν βο-  
ρεῖοις καταστήμασιν. ήτις οὐδὲ ξηροὶ μᾶλλον ἔστι. οὐδὲ ἑτέρων δὲ  
νοσημάτων ἡ βῆξ ἔσθ' οὐδὲ σύμπτωμα γίνεται, οἷον πλευριτιῶν,  
ἢ πατειῶν, φθιτιῶν, περιπτευμονιῶν. Si morbus non fintur,  
fluxioque in pectus pulmonesque ingruit, & tussis oboritur, ipsi  
maligna ac contumax. Quae & propter intemperiem subinde  
accidit, aliquando calidam, ut in febribus, aliquando frig-  
idam, ut in borealibus diebus, eaque magis siccata est. Iam vero  
aliis quoque morbis, tussis nonnunquam superuenit, ut pleuriti-  
cis, iecorariis, phthisicis, pulmonariis. Verissima hæc esse  
quotidiana testatur experientia, neque cum abunde me-  
dici hoc demonstrauerint, rationibus iisdem repetendis  
hoc loco opus erit. Consideremus potius qui fieri po-  
tuerit, ut Augustus catarrho & distillatione corripere-  
tur. Non enim tussis solum, quemadmodum ex Aegi-  
neta percepimus, verum & ipse catarrhus ex intemperie  
frigida enascitur, quæ ab actuali, ut loquuntur, frigore  
productæ glandulas constringens, obstrukcionemque in-  
ducens, humorum stagnationem & ex hac pendente  
acrimoniam & falsam fluxionem excitat. Notissima est  
natura frigoris, & ventorum septentrionalium, notissimi-  
sunt morbi, qui sub veris & autumni initium singulos  
fere homines inuadere solent. Quid si itaque efficiamus  
Augustum paulo ante hunc morbum eiusmodi tempesta-  
tibus fuisse expositum. Diximus Cantabriæ domita il-  
lum incidisse, veroque simillimum est tum Romæ fuisse  
ex itinere reducem, ergo necesse erat, illum vel per  
mare mediterraneum, vel per Alpinos Pyrenæosque  
montes iter consecuisse: adde varias tempestates illi in  
itinere licet imprudenti obfuisse, statim videbis quo-  
cumque

cumque te vertas, vnam harum causarum, vel aerem solum frigidum, vel frigidum & humidum, vel calidum & humidum distillationes & *nogūcas* producere potuisse. De posteriori siquidem frequentiori circa Italiam & ultimam Hesperiam aliquid dicendum, procurari enim austris, & hodie inter omnes constat, et ab antiquis nunquam dubitatum est (a). Scholiares Iuuinalis *austri* ventum *calidum esse* scribit (b), Virgil. meminit *austri* *caloris*, qui etiam (c) alibi illum tamquam *humidum* describit, et (d) pluviale nominat, immo obseruarunt V. V. Cl. Graecis adiectuum *vōtios australis* etiam *humidum* significare, & sic explicant illud Hippocratis *vōtiōdes pυ-*  
*getoi πρὸς χεῖσα febres ad manum* (puto ad contactum explicandum esse) (e), *humide*, (f) Aristoteles *δυσάδην* esse adfirmat, quod humida et calida corpora efficiat. Hunc itaque efficere catarrhos distillationes & id genus morbos, clarum est; hinc (g) Horatius *plumbeum* dixit, quod tardos homines & inertes reddat, Et (h) Ouid. *languidior-*  
*rem.* v. ibi Ampliss. Nic. Heinssum. Recte igitur de hoc monet (i) Hippocrates. *νότοι Εχεινόσοι, αχλυσθεει, παρη-*  
*βαρηκοι, γαθεοι, διατυπωι, οκταν ούτως δυναστένη τοιαῦτα*  
*ἐν τησιν ἀρρώστησιν πάσχουσιν. ἢ δε Βόρειον ή, θήχεις, Φε-*  
*γύγης, κολιαι σκληραι, δυσευρια, Θρηνοδεει, οδυναι πλευ-*  
*γεων, στηθέων. οκταν ούτως δυναστένη, τοιαῦτα ἐν τησιν ἀρρώ-*

B 3

st̄ησ-

(a) ad Sat. IV. v. 592.

(b) Georg. II. 216.

(c) Georg. I. 333. 354. 418. 462. Aen. I. 55. V. 596. 850.

(d) Georg. III. 429.

(e) vid. Poef. Oeconom. Hipp. voc. *vōtios*.

(f) Probl. II. Sect. 25.

(g) Serm. II. VI. 18.

(h) ex Pont. IV. x. 44.

(i) Sect. III. Aph. V.

stivoi προσδέχεσθαι χεῖν. Auctri grauem auditum, oculorum caliginem, capitis grauitatem, languorem, et diffluxionem afferunt, itaque quo tempore obtinent, sic afficiuntur in morbis homines. Si vero aquilonia tempestas fuerit, tuffes, & fancium via, alios induratas, urma suppressiones, horripilations, lacrum & peitoris dolores obseruamus: quonsque igitur hec obtineat, talia in morbis expectanda sunt. Adde eiusd. Sect. Aph. XII. XIII. XIII. XVII. & XVIII. in quibus ea quae diximus certius adhuc confirmantur. Iam repetendum puto, cumque prolatis coniungendum, quod si vigor & quasso languent in corpore vires, citius & sine maiori impedimento, mala quæcumque aduocentur, ut itaque si quis locum Suetonii de distillatione vulgari seu οὐρώπῃ intelligere velit, habeat argumenta satis prægnantia, quibus sententiam illam tucatur. Vnicum adhuc monendum est, scilicet si eiusmodi distillationes passus est Cæsar, tuffim quoque frequentiorem adfuisse concludimus, cum ex Aegineta verbis, tum ex Celsi loco supra adscripto. Cur itaque medici non pulmones potius, quam iecur vitiatos esse suspicati sunt? Verum rationes quin id facerent hæ erant, primum quod viderent integrum & incorruptum statum pulmonum, neque enim sanguinem reieceris Augustum, sed sola tussi hypochondriaca vexatum fuisse existimamus: Deinde admodum verisimile est, continuum & pertinacem circa regionem hepatis dolorem, medicos induxisse, vt in iecore sedem, & principem morbi causam constituerent.

### §. VIII.

Ergo tandem qua ratione hepatis vitia ad hecticæ febris generationem conferant, dispiciamus. Supra monuimus, vel obstrunctiones, vel vlcera nobiliorum vilcerum

cerum illam producere, quod testantur rationes non fal-  
se, quippe ex principiis Anatomicis, Physicis, & Pa-  
thologicis deriuatae, quibus accedunt obseruationes &  
testimonia virorum in arte medica illustrium. Nobis ne-  
que haec colligere, neque illas transcribere placet, cum  
gratiam huius laboris fecerint omnes, qui partim de fe-  
ribus, partim de vniuersis humani corporis morbis ali-  
quid scriptis consignarunt, inter quos eminent (cui ipse  
Apollo sedem in orchestra dedit) venerabilis Senex  
*Erid.* (k) HOFFMANNVS quo quid rectius in medicina  
& accuratius circa hunc morbum præcipi possit, non sen-  
tio, non video. Ad hunc itaque omnes relegamus, qui  
de utroque se certiores fieri cupiunt. Nobis illud ad-  
notasse sufficiat, quod ex *Viri illustris* obseruatione cir-  
ca hunc morbum non immerito dubitemus fuerit in Au-  
gusto sedes morbi in hepate, vt medicos tam iactasse  
ex Suetonii testimonio conficimus, num vero alium lo-  
cum hepatis proximum, & cuius vicinitate medici indu-  
cti fuissent occupauerit. Laudatus etenim (l) HOFF-  
MANNVS frequentem nidum fentarum atque hecti-  
carum febrium esse mesenterium demonstrat, quoniam tar-  
dus & impeditus admodum per viscus hoc succorum &  
sanguinis progressus stagnationes & stases facilime indu-  
ceret, immo suppurationes & abscessus, cum quibus per-  
petuo coniunctæ essent febriles intemperies: dolor vero  
nihilominus adsit grauatus & fixus in abdomine & pe-  
ctoris regionibus. Hinc puto facilime factum esse, vt  
deciperentur medici, iecurque vitiatum accusarent, ob-  
dolorem in illius regione, cum quam maxime vasa me-  
senterii, vel obstructa vel suppurrata illum efficerent.

Atque

(k) Med. Rat. Syft. Tom. IV. Sect. II. Cap. XIII.

(l) c. I. §. VI. IX. &amp;c.

Atque hæc eam ob causam adduxisse liceat , quod viri in medendo clarissimi, dudum obseruarint , hepatis vlera difficilis curari, plurima vero exstimatori a medicis, quæ postea fuisse in mesenterio, in abdominalibus aut diaphragmatis musculis, experientia comprobauit. Neque tamen iccirco quisquis hæc legat suspicetur, me omnino illud voluisse, scilicet ut iocinor necquicquam vitiatum fuerit in Augusto, *Suetonium* vero seu *medicos deceptos* fuisse, verum sic putet, me eam solum ob causam hæc monuisse, vt si quis nimium me *Muse* arti tribuisse obiiciat, is sciatur, me nec illam plane negare, neque tamen varia symptomata ipsi non imponere potuisse præfacto animo contendere.

## §. IX.

Exposuimus nunc varias de morbo Augusti coniecturas & difficultates, quæ tamen vt sumnam rem examinavimus, cum illa mirifice conueniebant. Hanc diximus fuisse febrim hecticam, neque quemquam tot dissonantia, vt videntur, atque *doctoꝝ* in uno morbo facilis & melius, quam in hac fecimus, conciliare posse confido. Cumque de hac superioribus sectionibus, quæ sufficiebant, prolatæ fuerint, iam de curatione illius, necessaria, & quæ maxime e re nostra erunt, adiiciam. Duobus autem medicis curam periculosis morbi Augusti demandatam fuisse legimus apud (m) *Plinium*: *Diuinus* certe *Augustus* *lactuca* *conseruatus* in *egritudine* fertur, *prudentia* *Muse* *medici*, cum prioris *Camelii* *religio* *nimia* *eam* *negaret*. Plura de hoc loco mox dicenda erunt, operæ enim pretium est, integrum etiam (n) *Dionis* locum percipi-

(m) Lib. XIX. Scđt. XXXVIII.

(n) ex Lib. LIII. p. 592. edit. Henr. Steph.

percipere. Οὐδὲν "Αὐγούστος" inquit εἰδέκατον μετὰ Καλπινεῖου Πέισωνος ἀρέσας, ηρξώστησεν αὖθις, ὡςτε μηδεμίαν ἐλπίδα σωτηρίας τοῖχον, πάντα γοῦν, ὡς καὶ τελευτήσων, διέθετο, καὶ τὰς ἦρχας, τοὺς τε ἄλλους τοὺς πρώτους καὶ τὸν Σουλευτῶν καὶ τῶν ἴππεων ἀθροίσας, διαδόχον μὲν αὐδίνα απέδειξε, καὶ τοὺς Μάρκους λόγον πάντων προκριθῆσε. Θαμὴ ἐσ τοῦτο προσδοκῶντων. Διαλεχθεὶς δὲ τινα ἀντοῖς περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων, τῷ μὲν Πεισῶνι τὰς τε δυνάμεις καὶ τὰς προσόδους τὰς κοινὰς ἐς Βιέννην ἐσγράψας ἔδοκε, τῷ δὲ Λαχριππατὸν διατύλιον, ἐνεχέμνετο. καὶ ἀντὸν μηδὲν, ὅτι τι μηδὲ τῶν πάντων ἀναγκάσιων ποιεῖν δυνάμενον, Αντώνιος τις Μόσχας καὶ Φυχρολούσιος, καὶ Φυχροποσίος ἀνέστησε. καὶ διὰ τοῦτο καὶ χρήματα παρὰ τοῦ Αὐγούστου, καὶ παρὰ τῆς Σουλῆς πολλὰ, καὶ τὸ Χρυσοῦς δικτυλίοις (ἀπελέυθερος γαρ ήν) χειρέθαι, τὴν τε αὐτέλεαν, καὶ ἐντῷ, καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, δυχὶ ὅτι τοῖς τέτε σύστοι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπειτα ἐσομένοις, ἐλαῖεν. *Augustus undecimum consul cum Calpurnio Pisone, adeo graui morbo debuit, ut nulla salutis spes adesse: itaque omnibus ut fato concessurus, dispositis, magistratibus & Senatorum equitumque primoribus ad se conuocatis, nomine sibi successore (cum omnes putarent, Marcellum ad hoc ab eo destinatumiri) constituto, cum quadam iis de publicis negotiis exposuisset; Pisoni libellum, in quem exercituum & redditum publicorum indicem conscripserat, Agrippa annulum tradidit. Antonius vero Musa, Augustum cum nihil nequidem eorum, que maxime essent necessaria, posset exequi, lauacris frigidis, frigidisque potiunibus sanitati restituit. Quam ob rem etiam pecunia ei ab Augusto & Senatu multa ususque anniuli aurei (libertus enim erat) datus est, immunitasque non ipsi tantum, sed omnibus eandem armis excentibus, non tunc modo, sed in posterum quoque tempus concessa.*

## §. X.

Ex his videmus *Dionem* saltim Antonii Musæ mentione, non successoris eius *Camelii*, quem neque (*o*) *Suetonius* neque aliis quisquam nominauit. Loqui tamen vtrumque de eodem morbo, de quo *Plinium* audiimus, certum est, partim ex temporis notatione, quæ *Suetonio & Dionis* eadem est, vt §. II. diximus, partim quod *Plinius* lactucam, qua conualuerit Augustus indicet, illa vero frigidæ sit facultatis, *Dio* autem θυρωταῖς, & *Suetonius* frigidorum usum laudet; quibus mortis periculo eruptus, & restitutus fuisset Augustus. Vt itaque conuenientibus tempore & medicaminibus, nihil sit quod dubitemus *Plinium* eundem morbum intellexisse, quem *Dio* nobis & *Suetonius* exposuerunt, & proinde recte nos facere, si unius verba alterius testimonio explicauerimus. Verum vt Plinii auctoritatem paulo magis in illa insigni lectionum varietate firmemus, necesse erit in verba corrupta paulo accuratius inquirere. Enim vero ubi nunc in præclara *Io. Harduini* editione, cum prioris *Camelii* religio nimia eam negaret, ibi olim elegantissimus ille *Hermolaus* (qui aliquot millia ulcerarum in Plinio, suo ingenio felix sanauit) ediderat, cum prioris cauerent, religione nunc omni caret, aptissima si Dis placuisse correlio, & optime latina, & cum prægressis Plinii verbis accurate cohærens, at barbara tamen præ illo nescio cuius (*p*) *Pellicerii* commento, cum prior etas eam religione Adonis nimia deuitaret, putares hominem & doctrinam suam & dexteritatem in enaçulandis veterum scriptis ostendere, tam acute Plinii mentem cepit, & facilis emendatione locum

(*o*) cuius verba integra exstant §. V. pr.

(*p*) cuius notarum MII. meminit Harduinus.

locum antea depositum restituit. Alios euoluere non placet, adeo videntur mihi omnes Circæo poculo inebriati fuisse. Tandem superuenit Harduinus, homo si quicquid excellentius quod ipsi natura tribuerat reliquis in rem litterariam facinoribus commaculauit, tamen ob illam solam Plinio impensam curam cum laude memorandus, qui in aliquot Codd. ceterum, aliquam partem etiam in his verbis dissentientibus, inuenit *Camelit* nonen, & inde locum hunc, quemadmodum adscriptimus, suæ editioni inseruit. Ne autem illa ipsa MSS. testimonia, quibus inductus est Harduinus, quemquam fu-  
giant, illa ex ipsis notis & (q) emendationibus hoc transcribemus. Reg. I. habebat. *cum priores camelis religio minime omne caret* in Chiffletiano erat, *cameli religio nimia omni caret*, accedebat Cod. MS. Apuleii de remediis salutaribus, qui exstat in Bibliotheca regia & totus ex Plinii verbis, teste Harduino, concinnatus est, in quo ipse, & iam olim magnus (r) *Salmasius* sic legerunt: *Dijus certe hac lactuca conservatus in egritudine fertur, prudenter Musa medici, cum prioris Camelii religio nimia ei abnegaret.* His persuasus Harduinus fuit, Camilio id nomen medico fuisse, qui ante Musam curam susceperebat Augustum restituendi. Fluctuat tamen & ex verbo *prioris*, quod quam nescio ob causam non placebat, *Artorius* configit, vt itaque nostro integrum nomen fuerit *Artorius Camelius*. Legerat etenim Eusebium, Lactantium, Cæl. Aurel. Velleium, & Valerium narrantes, *Artorium* Augusti medicum in castris Philippensi prelio adfuisse. At deceptus est in chronologia Harduinus, Artoriūque

C 2 &

(q) ad lib. XIX. Plinii n. XVIII.

(r) vt videri potest ex eius Exerciti. Plin. in Solinum. p. 1270.

& Camelium diuersos homines, & Augusti medicos confudit. (scilicet ante illum hunc errorem in Antonio Musa & Artorio errauerant (s) Brissonius (t), Pontacus (u) Lambecius, (x) Menagius, quos excitauit vir celeberrimus *Io. Albertus* (y) *Fabricius*) quos tamen diuersos esse, rete viderunt viri doctissimi. Laudatus Fabricius, quod ad illam de Musa & Artorio controuersiam attinet, *Tiraquellum* nominat, in illo de Nobilitate libro p. 257. mihi vero inter omnes sufficiat, summo cum honore indicasse celeberrimum & inter elegantiores medicos facile principem hodienum virum *Io. Henr. SCHVLZIVM*, qui in (z) *compendio historiae medicinae* his ipsis diebus euulgato, rem omnem felicissime atque accuratissime expedituit. Si itaque interuallum decem annorum nos praeter alias rationes impellit, vt credamus Artorium plane fuisse alium quam Mufam (quippe Artorius X. annis ante naufragio perierat) necesse erit etiam diuersum putare a Camelio nostro, vt qui hoc ipso tempore adhuc viuebat vna cum Antonio Musa, sicut ex Plinii loco, et Apuleii verbis ex MSto citatis, perspeximus.

## §. XI.

Mittamus itaque Harduinum cum suo Artorio & solum Camelium considerenus, si qua nobis liceat esse felicioribus in indagando vero huius medici nomine. Prius autem veniam precamur a lectoribus nostris, quod, cum iam abunde intellexerint Camelium fuisse medicum

(s) *Select. Antiqu. Iuris II. 3.*

(t) ad Eusebii Chron. p. 513.

(u) *Biblioth. Vindobon. Tom. II. p. 591.*

(x) *Amoenit. Iur. Ciui. Cap. 35. &c.*

(y) *Biblioth. Gr. Vol. XIII. p. 86.*

(z) *Lib. II. Cap. XIII. §. LXV. & LXVI.*

cum Augusti, videant nihilominus nos prolixiores esse in enarrandis iis, quæ quoquis modo ad illum pertinent. Operæ etenim pretium pūtamus, plura de illo adferre, qui a nobis primum, vt haud temere suspicamur, catalogo veterum medicorum (alias iam ab insignis eruditio-  
nis viro, & Hamburgi vrbis olim ornamento *Io. Alb. (a)* *Fabricio*, post CL. *Andreae Tiraquellii* industriam mirifice locupletato & aucto) adscribitur, quique olim tanta in exsultatione erat apud illum vrbis atque orbi imperan-  
tem Augustum, vt, quod ne quidem Antonius Musa, fa-  
tis ceterum splendidis muneribus ornatus, gloriari po-  
terat numisma in honorem suum conflatum videret, de  
quo nunc & occasione illius etiam de Camelio plura  
proferenda erunt.

§. XII.

Ipsum numisma, quod in fronte huius tractationis excudi curauimus, nobiscum beniuolentissime communi-  
cavit, vir supra omnium laudes positus, celeberrimus  
*Io. Henricus SCHVLZIVS*, inter cuius diuitem & rarissi-  
mam suppellectilem, illud vnicum asseruabatur, non-  
dum tamen a quoquam, vt vere monebat, atque ipse  
ego consultis plurimis huius generis scriptis, inueniebam  
vñquam euulgatum. Magnitudinis media est, crassum,  
ex ære caldario, seu non puro (quale regulare erat, vi-  
tis omnibus vi ignis excoctis) sed cum aliis metallis  
mixto. In nostro puto argentum æri esse admixtum,  
quod color ex flavo albus comprobare videtur. Huius  
pars aduersa Augustum, vt puto, exhibet, cæsarie de-

C 3 corum,

(a) & Biblioth. Græcæ Vol. XIII. inserto sub Tit. Elenchus medico-  
rum veterum.

corum, laureaque corona ornatum. Pars auersa sifit hominem nudum sedentem in trunko arboris, nisi me omnia fallunt, oleæ, cuius ramus ad tergum protenditur, foliisque conspicuus est, vt quasi vmbra eius protegi videatur, pilam manibus tenet, adstat pone arborem noctua, & ante sedentem virga in trunko alterius arboris ercta, quam serpentes mutuo inflexi circumdant, praeterea folia bina, aut alæ, nam ita vt in nummo paululum adtrito reperimus, hic expressam imaginem vides. Hæc omnia linea subducta segregat a subscriptis verbis.

.V CAMELIO. De ingenuitate huius nummi dubitare non licet, tum quod nihil exhibeat cum historia aut institutis veterum pugnans, tum quod ipsa *avtoψia* nos docuerit, non alia quam bona & incorruptæ antiquitatis signa adsuisse. Ergo sine vltiori circuitu ad eius explicationem progedimur.

### §. XIII.

Illud ante omnia obseruandum, fuisse hoc numisma ex eorum genere, quæ neque publica auctoritate percutiebantur, neque proinde tamquam moneta ad varios hominum usus vt in emptione & venditione, collari poterant, sed eius generis fuisse, quæ non erant in commercio, nisi quatenus ipsa, aere permutabantur, cuiusmodi alia multa erant apud Romanos pariter atque Græcos numismata, verbi gratia, crotoniata, sigilla seu metalliones, (adde etiam spinthria) quibus aliquando, at non Spinthriis, solebant effigies imprimere, vel imperatorum, vel aliorum præclarorum virorum, de quibus (b) Plinii verba, de statuis dicta, accipere potes,

Effigies

(b) Nat. Hist. Lib. XXXIV. Sect. IX.

gies, inquit, hominum non solebant exprimi nisi aliqua illuſtri  
cauſa perpetuitatem merentium (c). Oritur hinc quæſtio,  
quis nummum nostrum flandum curauerit, nam huius  
rei potestas libera republica ſolum apud Magiſtratum P.  
R. erat, & cum huius munia, nullo aduersante, impera-  
tores maximam partem in ſe traxiffent, penes illos erat:  
vt alterum itaque horum neceſſe fit, vel iuſtu impera-  
toris, vel III. Virr. Monetalium ſignatum fuiffe. A po-  
ſterioribus, niſi coniiente Auguſto, hoc factum eſſe vix  
credible eſt, ergo res ad ipsum Auguſtum redit, quem  
ſuſpicamur, Camelio ob merita ſua, iſtum honorem de-  
creuiffe. Scilicet illum aliquando, vt veriſimile eſt,  
graui periculo exemerat, vt hoc præmio ob conſerua-  
tum patriæ patrem dignus haberetur, fueritque hoc, il-  
lud ipsum quod paulo ante illum morbum, de quo di-  
ximus, prægressum erat, cuiusque Dio meminit (pag. 589.)  
& loco citato repetit ηγωστησεν αὐθις. an aliud quoddam,  
iam non diſputamus. Hoc potius monendum duximus,  
caput Auguſti in nummo indicare, vel illum ſua au-  
toritate, vel ob meritum in ſe ipsum (sc. Auguſtum) i.e.  
reſtituta bonæ valetudini ſignatum eſſe. Cognouimus  
monetas cuendī potestatem ſolum apud Magiſtratum &  
Auguſtum fuiffe: at vidimus hoc numiſma nequaquam  
fuiffe monetam, diſpiciamus igitur potueritne etiam ab  
allo, quam a dictis perlonis illud in honorem Camelii  
effingi. Notum eſt apud Romanos, niſi qui curulem  
magiſtratum geſſiſſet, imaginem ſuam ac ſuorum nullam  
ponere potuiffe: etiam hoc conſtat, ſepiuſ quibusdam  
ob illuſtre aliquod factum hunc honorem obtigifſe, vel  
publice

(c) vid. illuſtre & doctiſſimum viram Euch. Gottl. Rinck. de veteriſ Nu-  
miſtatiſ potentia & qualitate Cap. III. §. III.

publice & curante Magistratu P. R. vel priuatis quibusdam. Imaginem vero differre a statua recte vidit clar. (d) *Figrellius*, & poni pro nummo ex his (e) *Ciceronis* verbis efficimus, *Demosthenis* imaginem ex aere vidi: alia adducere argumenta supersedemus. Quid itaque vetabat, quo minus etiam priuatus aliquis Camelii amicus hunc nummum in honorem ipsius extare voluerit, quo etiam Augustum adulatum esse videmus, quippe illum qui communem ut vocant patriæ patrem conseruasset summo honore dignum iudicans.

#### §. XIV.

Ad posticam numismatis partem venimus. Ibi nudum illum sedētem ipsum Camelium esse putamus, quem Iatraliptam fuisse, s. medicinam gymnasticam excuisse credimus. Hos differre a medicis sensu striciori acceptis contendit V. CL. *Antonius van* (f) *Dale* cum Iatraliptæ vngendo & fricando ægrotos curarent, medicivero interna potius cura vterentur: nihil tamen impedit, quo minus vnum idemque homo, & medicus & Iatralipta esset. ex Iatralipta medicus fieri potuerit. Erat hec Iatraliptice pars medicinæ gymnasticæ maxime celebris, quæ in eo potissimum consistebat, ut balneorum, corporis exercitationum, vngendi & fricandi modorum, verum vsum & adhibendi rationem præcipere, magnamque Diætetics partem constituebat. Hinc in veterum monumentis ὁ ὑγιεινὸς memorantur, qui Athletarum bono colori, habitui ac robori augendo & conseruando artis

sua

(d) de statuis illustrium Rom. Cap. I.

(e) de Orat. Cap. 31.

(f) Dissertationum Antiquitatibus & Marmoribus illustrandis inservientium VIII, Cap. 8.

sue ope prospicerent, quique aliquando etiam Aliptæ vocantur, vel quod vere vna eademque erat persona ḥ ὑγείας atque Alipta, vel quod ὑγεία horum tantum ministerio in curandis corporibus vterentur. De his (g) Ciceronem loqui existima, *Qui me homines, quod saluum esse voluerunt, est mihi gratissimum; sed vellem non solum salutis meæ quemadmodum medici sed etiam ut aliptæ virium & coloris rationem habere voluissent.* Habebant ad hoc ditiores qui Romæ erant non solum balnea in ædibus suis, verum in familia etiam mediaстinos, vt vocabant, quod medias partes balnei tenebant, hoc est in medio lauantum stabant, quos fuisse putat laudatus *van Dale Iatraliptarum vñctores*, seu potius reuuctores, & ad cetera peragenda ipsis inferuiisse, adeoque ministros illorum fuisse & Iatraliptis subiectos coniicimus. Hi itaque, quod artem suam hoc modo facilius, & sine maiori incommodo perficerent, nudi erant, talemque Iatraliptam Camelium nostrum fuisse apud Augustum, tam ob habitum, quem in nummo cernimus, quam ob reliqua quæ ibi conspiciuntur, de quibus mox erit dicendi facultas, neminem dubitare existimo: siquidem (h) Suetonius inquit de Augusto, *Vngebatur sapius & sudabat ad flammanum.* Deinde perfundebatur egelida aqua vel sole multo calefacta, & ad Tiberium (i) ipse scribit. *Ne indeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbatis ieiunium seruat, quam ego hodie seruauit, qui in balineo demum post horam primam noctis duas buceas manducavi, priusquam vngi inciperem.*

## D

## §. XV.

(g) Lib. I. ad. Fam. Epist. IX.

(h) Cap. LXXXII.

(i) Apud Sueton. Cap. LXXVI.

## §. XV.

Audiuiimus Iatraliptas curam habuisse corporis exercitationum, quarum species quædam non incelebris apud Romanos, Græcos, aliosque erat populos, lusus cum pila, frequens quidem pueris & iunioribus, adeo ut aliquando sénibus vitio dari legamus, vt (*k*) *Petronius* inconnino illi iactatori, & profusissimo epulatori *Trimalchionis*, & (*l*) *Sidonius Apoll.* sæculo peruerso hoc adnumerans si senes pilis ludant: At non ideo in illis plane indecorum erat, cum ferme ad subleuandam senectutem, & corpus infirmum ac debile exercendum, lusū pilæ vterentur, pueri vero maxime ad animi delectationem, & tempus fallendum. Testatur illud clare (*m*) *Martialis*:

Ite procul iuuenes, mitis mihi conuenit ætas,  
Folle decet pueros ludere, folle senes.

(Erat autem follis pila magna ex aluta confecta soloque vento repleta & inflata) mitis vero h. l. idem est ac facilis, iucunda, non morosa nec torpida. Optimus in hanc rem est (*n*) *Plinii* locus, & dignus qui adscribatur. Laudat in illa Epistola Vestricii Spurinnae vitam, & dulcem senectutem, quam & ipsam se, nec aliam magis in senectute (si modo senescere datum sit) æmulari velle proficitur. Indicat illum *non animum minus quam corpus exercere*: & addit deinde, *vbi hora nona balinei nunciata est*, (*est* autem

(*k*) Sat. cap. XXVII. Videmus senem caluum, tunica vestitum rufsea, inter pueros capillatos ludentem pilam; nec tam pueri nos quamquam erat opera pretium ad specaculum duxerunt, quam ipse patr̄ familiæ, qui soleatus pila præsina exercebatur.

(*l*) Epist. 1. 8.

(*m*) Epigr. XIII. 47.

(*n*) Epist. III. 1.

autem hieme nona, & tate octava) in sole, si caret vento, ambulat nudus: Deinde mouetur pila vehementer & diu, nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. Lotus accubat & paullisper cibum differt: quippe modicam corporis exercitationem, vt ea est quae fit pila, conservandæ valetudinæ omnis ætatis idoneam esse credebat. Hinc Galenus inductus, vt de parua pila exercitio integrum commentationem scripsérit, in quo illam corpus mouendi rationem mirifice extollit, atque venationi, equitationi, palestricis artibus, ceterisque exercitiis longe præstantiorem esse docet, maxime iecirco, quod quædam harum sint periculosæ, quædam vero minime sufficerent ad firmandum corpus, illudue gracile reddendum. Verba (o) Galeni hæc sunt: Eam vero (sc. exercitationem) aliarum omnium quam integerrimam esse, hinc potissimum cognoveris, siquidem ipsarum uniuscuiusque vim & naturam intueris. Alias enim singulas inuenies vel vehementes, vel mites, vel corporis inferiora magis, vel superiora, vel præter ceteras partem aliquam, ut ilia, caput, manus, aut thoracem mouentes: que autem omnes corporis partes equaliter moueat, posseque & insummam vehementiam tolli, & in minimam motionem deprimi, aliarum nullam inuenies, illa excepta que parua pila habetur exercitatio; hac inquam concitatissima viciissim, & tardissima, & ad placitum; utque corpus tolerare visum fuerit, vehementissima, & remississima fieri consuevit. Sc. Digna autem tota commentatio quæ legatur. Cum ergo, vt ex Galeno audiimus, modus adhibendus sit in hac exercitatione, & pro ratione corporum modo fortior conueniat modo remissior, latraliptis hanc omnem curam, vt temperarent commissam fuisse, sequitur. Atqui nunc credo ratio constabit, quod

D 2

in

(o) I. c. ex Vers. Valer. Centanni Tom. I. edit. Lugd. p. 1220.

in numisinate Camelium videmus pilam in manibus tenere, instrumentum scilicet artis suæ, ex quo illum Iatraliptam fuisse cognoscimus. Vix possum h. l. prætermittere testimonium (*p*) Euſtathii, qui, cum eruditè de pilæ lusu præcepisset, eiusque quatuor species Οὐγαρίας, ἀπόστολος, ἐπιστυχος & Φωνίδας exposuisset, addit in genere illam exercitationem cum pila olim Gymnaſticas partem habitam fuisse, quod ex imagine Herodici medici illustrat, cui cum aliis gymnaſticas instrumentis etiam pila addita fuisset. Verba eius hæc sunt : "Οτι δέ τὸ σφαιρίζειν εὺς ὅλη γη μοῖρα ἔνομιζετό Φασι γυμναστικής, ἔστι συμβάλλειν καὶ ἐπ της (*q*) Ηροδίου τῇ λατρῷ εἰκόνος, παράπετας γάρ Φασιν αὐτῇ τὴν ἑτέρους τοι γυμναστικοῖς ὄργανοις καὶ σφαιρίδας &c. neque ergo nouum est atque insolens, quod Camelium hic cum pila conspicimus, cum iam Herodicus, vt pote artis huius auctor, atque primus magister, longissimo tempore ante nostrum sic expressus sit. Præfuit itaque Camelius noster valetudini Augusti, eiusque curam gesit, quantum exercendum sit corpus & quo tempore præcipiens, delestatum etenim Augustum etiam hoc corpus commouendi genere clare de ipso retulit (*r*) Suetonius : Exercitationes campestres, inquiens, equorum & armorum statim post ciuilia bella

(*p*) Ad Homeri Odyſſ. Θ v. 372-376.

(*q*) Legimus in impressis H̄ec φίλας, verum monebat vir celeberrimus atque eruditissimus Io. Henr. SCHVLZIVS (cuius benitollenzia & fauori hunc locum indicatum gratias debeo) legendum esse Ηροδίας, quam correctionem esse verilliam atque maximopere amplectendam, illi facile intelligent, qui Herodicum in gynaſticas artibus, Herophilum vero in Anatomices cognitione suo tempore principes exstisſe in memoriam reuocabit, vt idem vir summus olim pluribus demonstrauit in historia medicina, a rerum initio ad A. V. Romæ DXXXV. pag. 190. &c. & p. 373.

(*r*) Cap. LXXXIII.

*bella omisit: & ad pilam primo folliculumque transit.* Nihil itaque quo coniectura & explicatio nostra, melius confirmari & fortius communiri possit, superesse confido.

## §. XVI.

Iam vero, age, istam arborem consideremus, cui Camelius insidet, cuiusque ramus ad tergum ipsius exsurgit, & supra caput extenditur. Cumque omnia, quæ hactenus explicauimus, ad medicinam gymnasticam comode relata sint, etiam huius arboris significationem rede ad illam pertinere haud temere suspicamur. Videtur enim olea esse, ex qua oleum ad vsum τῶν γυμναστῶν exprimeretur, similiterque ad vsum Aliptarum, Iatraliptarum, vncotorum, reunctorum, & similiūm, qui vel Gymnasiis prærant, vel aliquo ministerio in illis fungebantur. Consueuerant enim Romani post balneum vngi, aut simplici oleo, aut vnguentis peculiaribus ad vunctionem præparatis, vt videri potest ex loco Suetonii (s) supra adscripto. Erant autem apud illos, more Lacedæmonum, Xysti, balnea, vncatoria, s. elæothesia, loca vtplurimum coniuncta, vt ex uno facile possent peruenire ad alterum, vtque si lauisserint, statim vunctioni commodum locum haberent. Cumque & pauperes, illico ob curam sanitatis conuenirent, necesse erat vt illorum egestati principis munificentia subueniretur, qui oleum suis sumptibus compararent, aut ex tributis aliorum populorum, Africæ, Triopolitanorum, & Lacedæmoniorum collectum, illico diuidenter, quod alias nisi pecuniosi & ditiores nemo ob ingens pretium cocomere poterat. Videmus huius ambitione largitionis plurima exempla apud veteres, vbi oleum

D 3

non

(s) §. XIII. fin.

non solum tanquam congiarium, singulis ciuibis distributum est, verum etiam in usum balnearum publicarum exhibutum. De quibus vide celeberrimi, & nuper insigni litterarum iactura coelitibus adscripti Petri Burmanni *Dissertationem eruditissimam de Vestigialibus P. R. Cap. III. p. 33.* Digna est præterea vetus apud(e) Gruterum inscriptio, quam hic proferamus.

## L. CAECILIVS. L. F. CILO

III. VIR. A. P

QVI. TESTAMENTO. SVO. HS. N. XXX. MVNICIPIBVS. COMENSIBVS  
LEGAVIT. QVORVM. REDITV. QVOTANNIS. PER. NEPTVNALIA. OLEV  
IN. CAMPO. ET. IN. THERMIS. ET. BALINEIS. OMNIBVS. QVÆ. SVNT  
COMI. POPVLO. PRÆBERETVR. T. F. I. ETC.

Ex hac discimus, diuites etiam testamento reliquisse legata fatis luculenta Balineis, ut oleum comparari posset, quo uterentur Gymnastæ s. Gymnasiorum aliptæ ad vngendos homines illico confluentes. Aliam adhuc inscriptionem græcam adulitul Cl. van(u)Dalen, quæ testatur Cyrum quendam Apollonii filium & Archiatrum & Aliptam fuisse ac senatui millenas dedisse vel drachmas, vel minas Atticas, ut oleum adunctionem illis compararetur. Atqui hæc omnia fatis manifeste declarant oleum usibus Gymnasiorum & αἱρεπτηριῶν inservuisse. Hæc vero non tantum ut diximus publica erant, sed priuata etiam, quæ quisque ditor pro commodo suo ædificabat, & instruebat, ut ex sola Plinii Epist. II. xvii. probandum esset, nisi innumeræ ruine Romæ adhuc veteris in ipsa noua superstites, hoc abunde

(t.) In Inscriptionum antiquarum corpore pag. CCCLXXVI, n. 5.

(u.) In op. cit. pag. 716.

abunde demonstrarent. In his vero Iatraliptæ &c. ordinem, modum, & tempus exercendi lauandi & vngendi præscribebant, vt adeo neminem inficias ire credamus, & Augustum peculiarem locum his Diæteticæ præfidiis destinatum habuisse, & Camelium ibi quæ ad conseruandam vel restituendam valetudinem facerent, præcepisse, & direxisse. Atque hinc, vt ab ludendi & exercendi peritia pilam gestare audiuimus, sic ab vngendi artificio, quod callebat, oleam ipsi recte attributam esse. Plura qui de his, & §. superioribus prolatis legere cupiat is adeat celeberr. *Io. Henr. SCHVLZII* (x) utramque historiam medicinae & ibi excitatos in priori Hier. Mercurialem. Petr. Fabrum, Octauium Falconerium, Antonium van Dale & Dissertationes ab ipso viro celeberrimo olim conscriptas.

### §. XVII.

Noctuam, quam in numismate videmus, Mineruam indicare nemo facile negabit, quippe vulgatum est hanc aum symbolum esse huius deæ, unde innumeris prope locis dicitur apud Homerum γλαυκῶπις Ἀθῆνη. Immo omnes fere Atheniensium numimi Mineruam hoc symbo-  
lo exhibit, ne quid dicam de sigillis, statuis, toreum-  
atibus, ceterisque huius Deæ imaginibus, vbi vel sola  
noctua Mineruam indicare debet, vel ipsa Dea hac ali-  
te comite conspicitur. Rationem huius rei dabunt My-  
thologi, qui illam vt plurimum ex Cornuto (melius enim  
sic dicitur quam Phurnutus) adferunt ita autem ille Cap.  
XX. de Nat. Deor. οἱ δὲ δράκοντες οὐδὲ η γλαυξ διὸ τὸ ἐμφε-  
γές τῶν ὄμματων ἀντίστροφα τάντη τῇ γλαυκώπιδι σύνη.  
Noctua & Serpentes ei consecrati sunt propter oculorum proprie-

(x) pag. 192.

tatis similitudinem. Siquidem & ipsa non minus ac predicta alia glauco oculos habet. Videamus ergo quam ob causam Mineruæ symbolum in nostro nummo expressum sit. Tres autem quatuorue rationes huius facti adducemus. Primum, quod Minerua habita sit præses atque inuentrix disciplinarum atque artium, hinc ex cerebro Iouis prognata, quod litteræ atque artes longæ diuersæ sint naturæ, quam quod vel ex hereditate ad aliquem perueniant, vel ex coitu humano producantur; (verba sunt laudati Cornuti) Gymnastice vero esse disciplinam & artificium nemo diffitebitur, immo nec ipse Plato cui ceterum minime sese illa commendabat hoc negare ausus est. Neque enim ars solum est, sed etiam difficillima, quantum etenim & quam prolixe olim ab ipsis veteribus disputatum est, de huius disciplinæ natura, utilitate, noxa, adhibendi modo, tempore, ceterisque circumstantiis, quamque multum adhibuerunt diligentia ut ad certas & definitas regulas illam reuocarent, quod nisi artem putassent plane inane ac superuacuum fuisset studium, cum quilibet ipse, quod vtile fore pro corporis sui conditio ne existimaret, id ipsum sine aliorum admonitione arripuisse. Erat itaque ars, & disciplina Gymnastice, atque accircero ad Mineruam videbatur aliquo modo pertinere. Sed alteram audiamus rationem, quæ in eo consistit quod oleæ arboris, eiusdemque ad sanitatem & vitam hominum usus inventionem, Mineruæ veteres adscripserint. Sic clare de ea (*y*) Virgil.

Adsis - - - - oleæque Minerua

Inuentrix - - -

vbi

(y) Georg. l. 18. adde Gebhartum Elmenhorstium ad Arnob. p. 122. ed.  
Lugd. Bat. 1651. 4.

vbi vide *Germ. Val. Guellum*: hinc cum olim apud (z)  
Phaedrum quas vellent esse in tutela sua Diui legerent ar-  
bores, & alia alii placeret,

Minerua admirans quare steriles sumerent?  
Interrogavit. Causam dixit Iuppiter:  
Honore fructuum ne videamur vendere,  
At mehercule (inquit illa) narrabit quod quis voluerit,  
Oliua nobis propter fructus est gratior.

Supra autem olei commendationem in Gymnasiis. s. E-  
laeothesis percepimus, ergo ob hanc causam, quædam  
cum Gymnastis ipsi familiaritas atque coniunctio in-  
tercedebat. Tertium accedit multo celebrius atque  
præstantius argumentum, quod explicauerunt Viri do-  
ctiss. (a) Rævardus (b), Tomasinus & (c) Struivius, atque  
hinc gratiam nobis fecerunt inutilis repetitionis. Consi-  
dit autem in hoc, quod Minerua, in scholis, ludis, atque  
in ipsis Gymnasiis, in quibus conueniebant iuuenes exer-  
cendi corpus causa, culta atque obseruata sit. Tandem  
subiungimus, aptissime hic exprimi Mineruæ symbolum,  
quod illa etiam medicinæ præesse, illamque iuuare cre-  
debatur, cuius Gymnaстicen & Iatralipticen partem ali-  
quam esse percepimus. Testantur de hoc Mineruæ mu-  
nere inscriptiones apud Gruterum in op. cit quarum al-  
tera legitur pag. LXXXI. n. 9.

## E

## MINER-

(z) Fabul. III. 17.

(a) Coniect. I. 10.

(b) De Donar. &amp; tabell. votiu. Cap. 23.

(c) Syntagm. Antiquit. Rom. p. 94.

M I N E R V Æ  
M E M O R I  
C O E L I A . I V L I A N A  
I N D V L G E N T I A  
M E D I C I N A R V M  
E I V S . I N F I R M I T A T E  
G R A V I . L I B E R A T A

D. P.

altera pag. MLXVII. quæ omnes simul comprobant mox  
adlatam non esse spuriam aut suppositam, quemadmo-  
dum (d) *Boxhornius* volebat, siquidem in harum alte-  
ra ipsa Minerua cognomine Medica reperitur.  
*num. 4.* hæc est.

MINERVAE  
MEMORI T U L L I  
A. SVPERIANA. RES.  
TITVTIONE. FACTA  
SIBI. CAPILLORVM

*Sc. num. 7.*

ΑΘΑΝΑΙΑΙ. ΠΟΛΙΑΔΙ  
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ  
ΤΠΕΡ. ΤΗΣ. ΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟΣ  
ΣΩΤΗΡΙΑΣ

*num. 3. vero:*

MINERVAE MEDICAE  
CABARDIAE  
VALERIA. SAMMONIA  
VERCELLESIS. V.S.L.M.

Speramus itaque omnes nobiscum sentire, qui Mineruam  
artium inuentricem, Oleæ auctorem, Gymnasiis præsi-  
dem,

(d) *Quest. Rom. Cap. 35*

dem, & denique medicam, in nummo medici, atque Iatraliptæ Camelii, recte atque apte significatam esse arbitramur.

## §. XVIII.

Ad postremam auersæ partis numismatis nostri effigiem progredimur, cumque ibi in virga circumuincti serpentes & ad Mercurium maxime, & ad Aesculapium ex parte possint referri, dubii hæremus in transuerfa illa figura, qua & folia & alas (nam tertium quiddam vix supicari licet) repræsentare potest. Exponemus utramque, cum vero minus videatur cum veritate consentire, si de Aesculapio interpretari velimus, incipiamus de Mercurio, cuius caduceum hic exhiberi, subnexam vero figuram alas esse, frequenter cum caduceo coniunctas, existimamus, sed vel longo temporum usu ita detritas vel iam olim a monetario parum accurate expressas, vt in nostro discerni vix queant. Indicat autem caduceus, ubique tandem conspicitur, ipsum Mercurium, quemadmodum ut vidimus noctua Mineruam, Iouem aquila, Iunonem paio, Neptunum tridens, & dracones Aesculapium &c. hinc dicitur Mercurius Cædicator (rect. leg. cædutor) ab (e) Arnobio, cædutifer (f) Ovidio, & gestator affabilium colubrarum ab eodem (g) Arnobio. Hunc artium inuentorem etiam Germani veteres celebrabant, vt ex Cæsaris Lib. VI. de Bello Gallico cap. 17. discimus. Græci vero quadratum effingebant, quod quatuor maximas artes, litteras, Musicam, Palestram, & Geometriam

E 2

triām

(e) Lib. III. p. m. 118.

(f) Metam. II. 708. &amp; Fast. IV. 605.

(g) Lib. IV. pag. 141.

triām inuenit. Ob Palæstræ inuentionem etiam ἐνεργῶν & ἀγώνον Græci laudabant: vid. *Fabrum in Agonistic. Lib. I. Cap. 16.* Hinc pugillatibus & luctationibus præesse dicebant. Ex multis locis, a laudato *Fabro* in hanc rem productis, placet tantum adscribere illum ex *Cornuti Cap. 16. fin. de Nat. Deorum*, ubi σέβονται δὲ αὐτὸν inquit, καὶ ἐν τῷ παλάστρου μετὰ τὸν Ήρακλέους, οἰς τῇ Ἰσχύι μετὰ λογισμῷ χρησθεῖ δέοντος &c. Similiter cum *Hercule* in palestris colitur, ut demonstretur, fortitudine utendum esse, cum ratione *Sprudentia* &c. & (b) Arnobii testimonium ex *Lib. III. p. m. 114.* editionis laudatae: *Curat Mercurius ceromas, pugillatibus & luctationibus præest* &c. Atque ex his concludimus propter ipsum hoc inuentum, seu propter tutelam artis palæstrica & gymnastica, Mercurii symbolum in nostro numismate expressum esse. Accedebat præterea, quod illum etiam sanitas causa inuocarent, quod testatur inscriptio apud *Gruterum* pag. *MLXVII.*

## DEO. MERC

M. NONIVS. APR

VS. CARINVS.

PRO. SALVTE. SVA.

V. S. L. M.

Vt adeo geminam possimus rationem adferre, cur Mercurii magis quam alterius dei insigne, monetarius, vel quisquis huius nummi auctor ebat, exprimi curauerit. Satis de Mercurio: pauca adhuc de Aesculapio monenda sunt: si quis enim hunc indicari in nostro numismate sibi perfaudeat, is necesse habet, figuram illam, quam caduceum diximus, baculum Aesculapii cum ser-

pentis.

(b) Conf. ibi Elmendorfii not.

pentibus ipsi sacris existimare; alas vero folia arboris cuiusdam salutiferæ Aesculapio sacræ: at ficulnea hæc esse, qui nummum diligenter insperierit, & argumenta bene expenderit, quilibet percipiet, ergo profligata hac explicacione, nostram, quæ caduceum Mercurio adscribit, recte vindicamus.

## §. XIX.

Hæc tenus omnia, atque, ut nobis videmur, satis faciliter, quæ auerfa numismatis pars exhibet, explicauimus: reliquum est, ut pauca de subscripto nomine adferamus. In hoc maxime vnica illa littera r̄ V, quæ præcedit nomen C A M E L I O, nos perturbat. Non enim videatur explicanda Volusus, Volcro, Vopiscus &c. quæ prænomina erant apud Romanos, quorumque quædam postea cognomina facta sunt. Si enim illud concedamus, oportet Camelium liberum natum esse, quod vix verisimile in illo, quem iatraliptæ locum apud Augustum tenuisse & forte gratia eius ad liberti statum peruenisse assumimus, admitti posse videtur. Fingamus etiam fuisse ex illis peregrinis Romæ viuentibus, quos Julius Cæsar aliquando ciuitate donauit, de quibus accipiunt viri eruditæ Suetoni verba in *Tulio*. Cap. XLII. necesse nihilominus erit, ut sece in patrocinium cuiusdam & primoribus Romanis reperitur, atque inde prænomen consecutus sit. Cum itaque hæc opinio multis difficultibus implicata sit: fortassis haud iniquior illa erit conjectura, quæ Camelium libertum fuisse statuit, vel Valerii cuiusdam, vel Voconii, Vipsanii, Vibii, Vergilii, Vargunteii, Vettii, Veterii, Vinicci &c: atque ex una harum gentium nomen vel Valerii, vel Voconii &c. acceptisse. Nouimus enim illam Romanorum consuetudin-

nem, qui libertos suos cogebant, ut nomina patronorum retinerent, quod exemplis M. Tullii Tironis, Antonii Musæ, Scribonii Largi, Livii Andronici, C. Iulii Hygini, aliquumque innumeris comprobatur. Postea temporis Cameliorum nomen ingenuum fuisse, immo aliquos, qui illud gerebant, forte ad dignitates etiam accessisse, testantur inscriptiones apud *Gruterum*, quarum altera (i), inter tribules tribus Succulanæ, qui basin marmoream imp. Vesp. poni curauerunt, numerat C. CAMELIVM HERACLAM, (k) altera. C. CAMELLII AFRICANI FABIANI, HONORATI VEFL. AVG. P. P. P. meminit.

## §. XX.

Reuertimur nunc ad Augustum, morbique ipsius curationem; hanc (l) *Plinius* indicat factam esse contraria medicina. Verba eius, quorum perspicuitas sine repetitione ante dictorum vix intelligi potest, integra adscribam. *Dissederunt inquit he diu scholæ* (scilicet Erafistri & Acronis Agrigentini) *& omnes eas damnauit Herophilus, in musicos pedes venarum pulsu descripto per atatum gradus.* *Deserta deinde & hac secta est: quoniam necesse erat in ea litteras scire.* *Mutata & quam postea Asclepiades* (vt (m) retulimus) *inuenerat.* *Auditor eius Themison fuit, qui que inter initia scriptis, illo max recedente a vita, ad sua placita mutauit.* *Sed illa Antonius Musa, eiusdem, auctoritate Dini Augusti, quem contraria medicina gravi periculo exemerat.* Observanda hic cumprimis illa verba, *contraria medicina, atque inqui-*

(f) p. CCXLII.

(k) p. CCCLXIV. n. I.

(l) Hist. Nat. Lib. XXIX. Sect. I.

(m) Lib. XXVI. Sect. VII. &amp; VIII.

inquirendum ante omnia, quo sensu illam medicinam, cuius ope Musa Augustum graui periculo exemit, dicta sit a Plinio contraria. Supra audiuiimus §. V. referente Suetonio usurpata esse in hoc Augusti morbo & calida fomenta, & frigida scilicet medicamenta, vel medicamentorum vim habentia, audiuiimus etiam illud, calida fomenta non profuisse, hinc Augustum frigidis curari coactum esse: ergo necesse est Camelium illa calida prescriptisse, quod etiam confirmatur verbis ciudem Plinii §. IX adscriptis. Decima autem paragrapho demonstrauimus Plinium vtroque loco, & Suetonium, Dionemque Cassium l. l. de uno eodemque morbo locutos esse. Vocatur ergo contraria medicina, illa frigida, quam Antonius Musa exhibuit, in oppositione calidorum, quibus Camelius usus erat. Sic vocabulo *contraria* sepe vbi sunt optimi autores melioris æui, pro oppositus, ex aduersum, seu e directo aduersus, non enim pro simpliciter aduersus, seu inimicus, noxius, periculosus hoc loco poni debuit, quod salutaris effectus, qui subsecutus est, suadet, praeter ipsam illum calidorum & frigidorum comparationem, quæ utrè contrariam hoc loco per oppositam explicemus postulat. Sic (n) Ouid. de cygno dicens

----- ignemque perosus

Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.

& de (o) Coruo dicens,

Cui color albus erat, nunc' est contrarius albo,  
item (p) Cicero. Cum duæ res ista contraria me conturbent,  
ex quibus aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes, aut in  
altera non offendas. Alia, adeo sunt innumera loca, studio-

breui-

(n) Metam. II. v. 3804.

(o) Metam. II. 541.

(p) Ep. ad. Fam. V. 14.

breuitatis omittimus. Certe & (q) Suetonius Plinium sequutus est, inquiens de Augusto: *contrariam & ancipitem rationem medendi necessario subiit.*

## §. XXI.

Singula ut accuratius perspiciantur, considerabimus primum quae fuerit Camelii medicina, quam in Augusto curando adhibuit; calidæ autem naturæ vel indolis fuisse dictum est. Ex quo fere concludimus, vel tamquam Iatraliptam, balnea, frictiones, corporis commotiones, & quæ Suetonius indicat, fomenta calida illum frequenterasse, vel vini usum liberalius permisisse, vel denique magnas illas compositiones, quæ antidotorum nomine tunc frequentabantur, adhibuisse. In qua cum simus sententia, necesse est ut illum Asclepiadeum fuisse, & huius in medendo præcepta accurate obseruasse, affirmemus: Neque enim illud temere nos assumere, illi videbunt, qui ævo Augusteo, Asclepiadem adhuc summo in honore fuisse, eiusque dogmata multo plures tunc arripuisse considerabunt. Hic vero insigne quantum tribuit "illis rationibus, quibus perspirabilitas, & manantium corporisculorum (quæ fingebat) liber effluxus promoueri poterat, hinc, vini, gestationis, & frictionis usum commendabat, immo omnium copiosissime de frictione, cuius auctor etiam haberi voluit, præcipiebat". Verba sunt excellentissimi viri SCHVLZII in compendio Hist. Med. §. LXXXVII. "existimabat enim per tenuissimos corporis meatus facilime penetrando, illos aperire, adeoque stagnationes & infarctus expedire", vid. ibidem §. LXXXVIII. Quid autem facilius imponebat Camelio

(q) Loco §. V. apscripto.

melio, qui obstrunctiones & infarctus viscerum suspicari poterat, (esse etenim illos febris hectice causas <sup>(r)</sup> supra probauimus). Atque hinc Asclepiadis vestigiis nimis tecniciter insiftens, calidis medicamentis, & fomentis, discutiendos existimabat, religioni sibi ducens a disciplina ipsius vel latum vnguem recedere, quam vel ex ipsius ore insigni garrulitate inculcatam tenebat, vel aliquot ex experimentis sed talis comprobata viderat. Huc etenim pertinent illa Plinii Camelium religione nimia induc<sup>t</sup>um, frigidorum usum negasse Augusto. Vinum autem, balnea, frictiones, corporis commotiones &c. referenda esse ad illa, quibus fortior sanguinis circuitus excitatur, & hinc calor augetur, nemo nisi harum rerum plane expers, aut communis sensu priuatus, negare audebit. At nec quicquam illis profecisse, tum rerum euentus comprobauit, tum ipsum si institutum fuisset medicamentorum, & morbi accuratius examen docere potuisset. Prius Suetonius confirmat, calida referens fomenta nibil profuisse, & Plinius, Camelium, inquiens, Augustum non restituisse in pristinam valetudinem, quod frigida admittere noluisset. Posterius credo omnibus facile constabit, qui considerabunt, Camelium ne morbi quidem veram indolem & causas perpendisse. Supra etenim dictum est, esse in febri hectica celeriorem, & inaequalem sanguinis circulum, sudoremque fortiorum immo si distillationes admittantur. §. VIII. assertas, illas ex aere calido & humido cui expositus erat Augustus, originem duxisse, Cameliumque probe fecisse, qui sudorem calidis fomentis &c. augebat, aeraremque insuper humidum & calidum balineis, immo & ipsis fomentis pro-

F

curabat

(r) §. VI. &amp; VIII. conf.

curabat, ut adeo corpus, quod austri & interna viscerum vitia, nondum plane debilitauerant, id ille peruersa sua medicina prorsus disturbaret, atque concuteret.

### §. XXII.

Ergo cum vel illa ipsa morbi atrocitate, vel peruersa Camelii medendi ratione ad desperationem redactus esset Augustus, commisit se totum diligentiae & industriae Antonii Musæ, qui illum frigidis curare instituit. Feceritne illud vel experiundo in summo Augusti periculo alterum extreum, vel ipso suo iudicio, quod scilicet omnino salutare putaret, id vero incertum est. Proximius tamen posterius videtur ad verum accedere, testabatur enim supra *Plinius*, Musam mutasse placita Asclepiadis, que omnia ad calorem augendum faciebant, & (s) alio loco, clarius hac de re loquitur, cum enim ibi de Euphorbo dixisset, subiungit: *Frater is fuit Musæ, a quo Diuum Augustum conseruatum indicauiimus. Iidem fratres instituere, a balineis, frigida multa, corpora adstringere.* Antea non erat mos nisi calida tantum lauari &c. commendauit ergo frigida hoc tempore fomenta tantum, quæ balneariorum vicibus fungebantur, horum etenim Suetonius tantum meminit, & hæc Dio indicat per ψυχολεσιαν, non balnearium, aut lauationum, vix etenim tantum superfluisse Augusto virium existimamus, ut his ipsis praesentibus adhuc vti potuisset. Viderat certe Antonius noster balneariorum tam crebrum apud Romanos vsum, ad delectationem potius, quam ad sanitatem tuendam frequentatum, obesse firmo corporis habitui, & virili robori. Intellexerat corpus balneis

(s) Lib. XXV. Sect. XXXVIII.

neis illis calidis, magis debilitari, partes resolui: ergo medium quoddam inueniebat, illis salutare, qui nec volebant istis suis deliciis priuari, & corpus tamen contra morborum incurssiones, (quibus obiciuntur corpora flaccida & debilitata) saluum ac tutum præstare; iubebat exteriorem cutis habitum, primum calidis deliniri, deinde frigidis lauacris adstringi. Interdum etiam, ubi ratio id exigebat, foliis frigidis perlui, ut (*t*) *Horatium* in hoc habemus testem satis locupletem, cuius hæc sunt.

nam mihi Baias  
 Mu'a superuacuas Antonius, et tamen illis  
 Me facit inuisum, gelida cum perluor vnda  
 Per medium frigus &c.

Durasse illam methodum etiam longe post Musæ tempora discimus ex notis *Harduini* ad *Plinii* locum citatum: docuisse namque obseruat idem *Agathinum* apud (*u*) *Oribasium*: frigida scilicet lauari a balneis. Præclara sunt in hanc rem verba (*x*) *Clementis Alexandrini*, quæ nobiscum, pro summa sua humanitate, communicauit fautor celeberrimus *Io. Henr. SCHVLZIVS* quæque iam adscribam: *αὶ δὲ*, inquit *Clemens*, *τὸς βαλανέου συνεχεῖς χρήσεις*, *καθαιροῦσι τὰς δυνάμεις*, *καὶ τὸς φυσικοὺς χαλᾶσι τόνούς*. *παλλάκις δὲ ἐκλύσεις ὕδους*, *καὶ λεπτοθυμίας*. *Porro* autem balnei frequentes usus vires adimunt, naturalemque roboris vehementiam relaxant, sepe autem dissoluunt, *οὐ* ut quis animo linguitur, efficiunt. - *εἰ μὴ δὲν πέρος τι ὀφελεῖ* τὸ λουτρὸν, *ἥδη σφᾶς ἐλπιτέων αὐτῷ*. *Λιθρωπογραφεῖα ἐπά-*

F 2

λου

(*t*) Lib. I. Epistol. XV. 2.(*u*) Lib. X. Collect. Medic. cap. 7.(*x*) Pædagog. Lib. III. Cap. IX.

¶  
*De Augusto contraria*

λουν σῶτεροι παῖδες. ἐπεὶ θάλτην ἡ προσήκου γένοι τὰ σῶματα, καὶ προγνωστικαν ἀναγνάθει παθεψόντα, κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ σιδηρῷ μαλαστομένης τῇ θερμότητι τῆς σαρκός· ἐντεῦθεν εἰσεῖται τῆς Σαρῆς, καὶ τῆς στομάτως τῇ ψυχρῷ δέσμῳ &c. *Nisi ergo aliquid pro sit lauacrum, non oportet nos eo resoluere.* Veteres ea αἰδερωτογναφεῖσα, hoc est, fullonianicas hominum officinas vocarunt, quoniam citius quam parerat, pannosa corpora efficiunt. *S* ante tempus cogunt abſer-  
gendo conſenſere, dum non fecus ac in ferro calore caro mol-  
lificatur. *Hinc frigiū veluti tintura, S* temperatura, opus  
habemus. Atque hæc de lauacris & fomentis frigidis  
dicta ſufficient, plura dabit *Baccius de thermis*. Cap. 25.

§. XXIII.

Laudari etiam a *Dione* audiuiimus inter frigida me-  
dicamenta, præter *ψυχρολούσιαν*, ad curationem Augu-  
ſti adhibitam, *ψυχροπάλεαν*, quam ſtričtius accipiemad  
putamus, neque enim ſolam frigidam bibendam præce-  
piffe *Musam*, ſed dilutas potionēs, frigidas quidem, ſed  
medicamentosas, & morbo Auguſti tollendo inprimis  
conuenientes. Quænam illa fuerint ſuſpicari licet ex  
(y) *Plinio*, qui laetucis conſervatum Auguſtum inque tantum  
receptam eſſe earum commendationem, indicat, ut ſeruari et  
iam in alienos menses eas oxymelite repertum ſit. Siue ergo  
iam tum oxymel illud repertum erat cum laetucæ com-  
poſitum, ſiue ſolus ſuccus laetucæ expreſſus intelligatur,  
quorum altero Cæſar vtebatur, Dionis certe verba vin-  
dicantur, & ſenuſ commido explicantur. Nemini ete-  
nim illud incognitum eſſe potest, laetucis omnibus na-  
turam eſſe refrigeratricem, quaē iccirco, ut *Plinius* per-  
git l. 1. *estate grata ſtomacho, faſtiaſum auferunt, cibique*  
appeten-

(y) Lib. XIX, Sect. XXXVIII.

apperentiam faciunt, immo somnum omnes pariunt, cui geminum est (2) Galeni testimonium ab Harduino ad h. l. productum, prodit etenim, lactucam vespere commanducatam, fuisse sibi aduersus vigilias remedio singulari. Nihil moror Florentini illius seu Florentii commenta, qui apud (4) Cassianum Bassum inquit: ὅπιον ἐπιφέρει τοῖς μὲν ὑγιαίνοντις ἀθημένην, τοῖς δὲ νοσήσοντις, υποτιθεμένην σύγνοστην. καὶ μάλιστα, εἰ τις τὴν Θεριδακαν τῇ ἀριστερῇ χειρὶ αὐτόρρευστὸν προσάντελης ἡλια λαβὼν ἐπ τῷ χώρῳ θεῖαι λάθρᾳ ὑπὸ τοῦ στρωματοῦ τοῦ καύμοντος. Καὶ ὁ χυλὸς δὲ τούτης ἐπιχειρόμενος τῷ μετώπῳ τῇ ἀριστερᾷ ὑπερνάντος ἀπαλλάξεις. Somnum inducit sanis quidem in cibo accepit, ægris vero suppositum nescientibus, & presertim, si quis viuivadicem lactucæ satius sinistra manu euulsum e terra ante solis exortum, clam sub stratum ægri ponat. Succus etiam huius fronti ægroti illitus, somnum ipsi inducat. & paullo post: καὶ αὐτὰ ταὶ φύλλα τῆς Θεριδακοῦ ἢ γ. ἢ ἔν, ὅπιον ἐπάρχει τῷ καύμοντι, τιθέμενα πρύφατο τῷ κοιτῶν, ὥστε ταὶ μὲν απεσπασμένα ἀπὸ τῆς καυλῆς πρὸς τὸ πόδας ἐγένεν ταὶ δὲ ἄνω βλέποντα πρὸς τὴν κεφαλήν. Ipsi etiam filia lactucæ quinque numero, aut tria aut unum, somnum inducent ægroti, clanculum sub pulvinari posita, ita ut partes a caule anulæ ad pedes ægroti spectent, superne vero ad ægri caput. Hæc enim, si ad viuum resecare velimus, nugas esse manifesto deprehendemus. Meliora sunt quæde lactuca præcipit idem, statim ab initio huius capititis: Θεριδαξ, inquit, ὑγιὸν καὶ ψυχρὸν ἐστι λάχανον, διὰ τοῦτο πρὸς τὸ πυράδεις Φλεγμόνας ἀριστερᾶς. ἔστι δὲ αἱρέσθιον ἔδεσμα, καὶ ὑπνωτικόν, καὶ γάδερος προτερηπτικόν. Lactucæ humidum & frigidum est olus, & ideo ardentibus inflammationibus congrua.

F 3

et.

(2) Lib. II. de alim. facult. Cap. 40. p. 359. Tom. V.


(4) In Geoponicorum a viro CL. Petro Needham editorum Lib. XII. Cap. XIII.

eft. Eſt autem edulium ſitum extingueſt, & ſomnificum, &  
lac allicit. Tria itaque ſunt quæ lactucam commandant,  
primum quod refrigeret, deinde quod humectet, & ge-  
latinofas particulas bene multas corpori præbeat, po-  
ſtremum quod ἀγεννίας arceat. Hæc tria & olim ad-  
ſcripſiſſe eius naturæ veteres, ex iſpis illorum testimo-  
niis percepimus: de adſenſu hodiernorum medicorum  
nemo dubitat, qui ſemen etiam inter decantata illa qua-  
tuor minora frigida aduocarunt, & de huic virtutibus,  
immo & ſucci, foliorum, & radicis late præceperunt,  
quos, ſi placet, confali poſſe exiſtimo. Singula nunc ex-  
pendimus quæ ad historiam morbi & remediorum, im-  
mo ad vtrorumque iudicium pertinere putauimus, quæ  
que ad propositum noſtrum facere nobis viſa ſunt. Po-  
tuiſſemus etiam ἐπιλογῶν horum adiungere, niſi longio-  
ris moræ habenda eſſet ratio, & præterea neceſſitatum  
noſtrarum. Quam ob rem illa, quæ forte hinc inde pa-  
rata erant ad locupletandam commentationem, ſtudioſe  
prætermittimus, inque aliud tempus, vel reiiciamus.  
vel hiſce Te Lectorem contentum fore ſperamus.

VERBUM NON AMPLIUS ADDAM.








Halle, Diss.) 1741

Ab. B. A.








18  
2742 146

DISSERTATIONEM SOLLEMNEM  
DE  
**AVGVSTO**  
**CONTRARIA MEDICINA CVRATO**  
**PRQ HONORIBVS DOCTORIS**

Ad D. Septembris c<sup>is</sup> I<sup>o</sup>cc xxxxii.

DEFENDET

M. CHRISTIANVS ROSE  
RUPPINENSIS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.